



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

4. S. Barbara Virgo, & Martyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Barbaræ Virginis &
Martyris constantissimæ, morien-
tium Patronæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili ! nondum contemnimus mun-
dum, nondum & hominem mala
suadentem nobis ? Audi, quid heroina
S. Barbara Genitori suo ad nuptias co-
genti: *Non committam Pater, ait, ut
mortalem sponsum cælesti ac divino an-
teponam.* Præstat obedire Deo, quàm
parenti proprio. Dicamus jam strenuè
cum S. Paulo: *Omnia detrimentum fe-
ci, & arbitror ut stercorea, ut Christum
lucrifaciam.*

Instructio meritoria.

O deplorandam infidelitatem no-
stram ! Dimittimus non rarò Divinum
obsequium, ut obsequamur homini in
rebus etiam pessimis. Quis hic perversus
agendi, & amandi modus ? Ut re-
spectum triumphemus humanum, &
solum Deum in vita nostra circumfera-
mus, propter hominem nullum spiritua-
le exercitium intermittamus, potiùs fer-
vorem

vorem augeamus per recollectionem animi, repetitâ sæpius B. Climaci protestatione: *Melius est contristari parentes, aliosque homines, quam contristari Deum.* Datô imposterum pro studiis, aut orationibus signô statim relinquamus conversationem, & ad cellam, vel Sanctissimum pergamus recitaturi *tria Pater & Ave cum Te Deum Laudamus.* Tres sunt in cœlo! & hi tres unum sunt. Adoretur in Trinitate Unitas, & in unitate Beata Trinitas!

II.

Dilaniatur tenera Virgo crudelibus tormentis, tamen clamat: Quis me separabit à Charitate Jesu? Dilecte! fortè quærit ex me cum S. Thoma Villanovano: *Quis autem fecit Martyres diras, & acerrimas subire pœnas?* Dico liberè: *Viva fides.* An non hæc deest nobis? Urget charitas, ut patiamur. Et ecce! jam fugimus. O fili! verè in nobis patitur Christus opprobrium, in nobis Christiana lex patitur detrimentum! Salvianus.

Instructio meritoria.

Ut revivifcat, & de novo in nostris fides ardeat pectoribus, ter coram Sanctissimo Venerabili flectamus, & comitante sancta Barbara oculis penitus clausis illud adoremus, semper *quindecim Pater, & Ave* recitantes cum uno *Credo*. Claudamus sensus, & vivet fides nostra. Beati, qui non viderunt, & crediderunt.

III.

O Quantum nos angit, & torquet memoria mortis! Fili, noli timere! Patronam bonam, & potentem nobis Deus dedit in S. Barbara. Hanc colamus, hanc diligamus: Et fiet, ut in Virgineis S. Barbaræ moriamur brachiis. *Expectata quotidie finem vitæ*, monet S. Ephrem, *& ad illud iter te prepara*. Sanctis quatuordecim Auxiliatoribus, quos inter & S. Barbara, diem Mercurii dedicemus, & si advenerit, unum speciale, & supererogatorium recitemus Rosarium. Volunt juvare boni cœlites: Sed si antea invocati.

Festum